

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1746)
Heft: 2

Artikel: Dissertatio epistolica in I. Thess. Cap. V. vers 23. de oo, & tribus hominis coelitus Renati partibus essentialibus
Autor: [s.n.]
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394580>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 14.05.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

DISSERTATIO EPISTOLICA

in I. Theff. Cap. V. vers 23.

de 'ΟΛΟΚΛΗΡΩΙ,

& tribus hominis coelitus Renati

Partibus essentialibus.

*Ad V. Clarissimum A. Z****

Scribis ad me, Vir Clarissime, illum Anonymi Libellum vernaculo sermone conscriptum, qui ex hoc S. Pauli loco (*) Titulum sibi adsumsit, ac nuperrime Basileæ typis exscriptus est; sagacioribus quibusdam ex sacro ordine Viris, qui sæpe, cum Pseudolo apud Comicum, quærunt quod nusquam est, reperiunt tamen, tantum non Fanaticismi suspectum haberi; quod tres diversas & essentielles Homini Renato partes, Spiritum; Animam & Corpus; vindicet ac tribuat: Et quum Libelli Inscriptio ad hunc Pauli locum manifeste respiciat, immo ipsa hæc Pauli verba nova interpretatione reddat atque repræsentet; Tu meum exquiris Judicium, quid ego cum de ipsius Theseos, Anonymi Libello assertæ, veritate ac momento; tum vero imprimis etiam de hujus Loci Sententia ac Interpretatione statuendum esse censeam. Et quanquam non ignorem, quam

(*) Das ganze Loosß eines wahren Glaubigen, Geist, Seel, und Leib: Oder Evangelischer Erweis, daß ein Wiedergebörner bestehe aus Geist, Seel und Leib: Aufgesetzt zum besten deren, die mit Wahrheit sagen wollen: Das Loosß ist mir gefallen außs Liebliche, mir ist ein herrlich Erbtheil worden. Basel. 1746. 8.

quam difficile ac periculosum sit, etiam si fueris rogatus, Sententiam dicere, postquam causa aliqua malis suspicionibus in invidiam jam est adducta, maxime si adversum hos pronunciare fueris coactus, qui dissensum omnem, etiam tacitum ac modestum, atrocissimæ injuriæ loco habent: Nihilominus tamen de utroque hoc Capite abs Te V. Cl. proposito quid mihi videatur libere exponam; novi enim Te non ex eo hominum genere esse, qui nemini, nisi sibi, ignoscunt, & qui exempla sua æquo animo pati non possunt.

Et primum quidem quod ipsam Anonymi The-
sin integro Libello operose assertam adtinet, illa
receptæ Christianorum Doctrinæ (*) non est
opposita, eandem enim tuentur omnes Christia-
ni Theologi, qui asserunt, Irregénitos esse qui-
dem Homines, anima & corpore præditos; ce-
terum πνεῦμα μὴ ἔχοντας: Renatos contra, qua-
tales, (præter animam & corpus, quæ Hominis,
qua talis, integra Sors sit,) habere insuper Spiri-
tum Christi intra præcordia operantem, atque
hunc facere essentiale discrimen inter Hominem
cœlitus renatum & Hominem mere ψυχικόν, qui
adhuc in statu Naturæ corrupto versetur. Si
quis hic est Dissensus, versabitur tantum circa
modum

(*) Non omnibus æque facile est, posse conjicere,
quinam illi sint, de quibus Anonymus in Præfatione ita
loquitur: Es ist sich deswegen nicht zu verwundern, daß
unter denen, welche die h. Schrift vor Gottes Wort eh-
ren, zu finden sind, die unsern Satz in Zweifel ziehen,
oder gar verwerffen.

modum Præsentiae Spiritus Sancti in Cordibus Renatorum, plerisque affirmantibus, Spiritum hunc in Sanctis non esse præsentem nisi per *χαρίσματα* & operationem efficacem, atque proinde illa S. Scripturæ loca, quæ diserte testantur, quod Spiritus S. *detur fidelibus* Luc. XI: 13. quod *indatur medio cordis illorum*, Ezech. XXXVI: 26. quod *illos repleat*, Act. VI: 5. *super illis quiescat*, 1. Petr. IV: 14. *in illis habitet*, Rom. VIII: 9. *a quo etiam agantur*, Rom. VIII: 1. &c. &c. per Metonymiam Causæ explicanda esse omnia: Aliis contra clamantibus, ita vim fieri Phrasibus Spiritus Sancti; neque locum hic esse Metonymiæ, ad quam illi confugiant tanquam ad sacram anchoram, non aliam ob rationem, quam quia modum Præsentiae Spiritus, qui Deo non esset indignus, animo h. e. phantasia concipere nequeant. Et si verum dicere fas sit, omnis iste Dissensus redit ad meram Logomachiam, quod ab Anonymo quoque in Præfatione (*) recte observatum est: Etenim qui operationem Spiritus S. immediatam in mente fidelium statuunt, hoc ipso Spiritum S. ut Causam operantem & ab effectu distinctam immediate præsentem esse, ipsi quoque largiantur necesse est. Itaque idem prorsus sentiunt, & omnis Dissensus est circa verba. Ceterum notio Præsentiae est notio relativa & abstracta, quæ Phantasia informari non potest; & pleræque, quæ hic moventur a quibusdam difficultates, oriuntur ex malefanis & ineptis veterum

Meta-

(*) Es scheint mehr ein Wortstreit zu seyn, als ein wesentlicher, wie die Verhandlung selbst mit mehrerem zeigt. In Præf. pag. 3.

Metaphysicorum de Ubi aut Loco Entium Simplicium, & Entis infiniti deliriis, quibus abdicatis, omnes subito evanescunt difficultates, nihilque officit amplius, quominus diserta hæc S. Scripturæ loca, Sensu proprio sine Metonymica translatione, cum Anonymo nostro accipiamus.

Alia vero jam Quæstio est de applicatione hujus Thesew ad hæc vel illa S. Scripturæ loca, in quibus πνεῦμα & ψυχὴ tanquam distincta memorantur: Hic enim, salva ipsa Thesi, verus Dissensus locum habere potest; non enim sequitur eum, qui Thesew veritatem admittit, propterea etiam necessario omnia sine discrimine argumenta, quæ ab aliis ad confirmandam hanc Thesin in medium afferri solent, tanquam solida & probandi virtute instructa admittere: Redit enim in singulis Locis Quæstio seorsim discutienda, utrum dictiones πνεῦμα & ψυχὴ h. l. necessario essentielle discrimen involvant, & annon potius de eodem Subjecto, diversa tantum ratione considerato, accipienda sint? Adeoque utrum πνεῦμα in omnibus iis Locis, in quibus a ψυχῇ distinguitur, necessario Spiritum sanctum designet? Quod quidem Doctiss. Anonymus affirmat. Nos in præsentiarum nonnisi palmarium S. Pauli Locum I. Thess. V: 23. juxta Anonymi interpretationem sub examen revocabimus; quæ ita habet: *Ipse vero Deus Pacis sanctos vos reddat penitus: Et universa Sors vestra, scil. Spiritus & Anima & Corpus, sine labe conservator in præsentia Domini nostri J. Christi.* Pium isthoc Pauli votum respicit omnino vero, quemadmodum ab Anonymo recte observatum est, vere fideles, qui Spiritum Christi jam ha-

bent, quod inprimis ex v. 19 elucescit; atque duorum maximorum divinæ Gratiæ beneficio-
rum spem facit, quorum alterum est Sanctifica-
tio, quantum quidem fieri potest, plena; alte-
rum vero Confirmatio in studio bonorum ope-
rum & sanctimoniae perpetua. In posteriore lem-
mate, ex Anonymi sententia, objectum Gratiæ
illius confirmantis primo in genere per ὁλόκληρον
ὑμῶν: & deinde quasi per partes, per τὸ πνεῦμα, καὶ
ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα, repræsentatur ac designatur:
Per ὁλόκληρον vero Thessalonicensium intelligit
totam hominis renati Sortem seu possessionem, *cujus*
totidem q. partes seu species sint τὸ πνεῦμα, scil.
Spiritus Christi in regenitis inhabitans: ἡ ψυχὴ, *Ani-*
ma, *cum suis facultatibus ac viribus*, quatenus nunc
Spiritu S. parent; & denique *Corpus*: Per Rege-
nerationem enim restauratur Imago Dei atque
ad ὁλοκληρίαν, qua anima in statu Integritatis emi-
cuit, antequam per peccatum fuerat labefactata,
reformatur.

Quid jam hæc Expositio habeat, quod pium
hominem offendere, aut ipsam Fanaticismi suspe-
ctam reddere possit, equidem non intelligo: Si
qui fuerint, qui eam novitatis culpa aut periculo
rejiciendam esse censeant; hi velim duo apud ani-
mum suum reputent, tum non omnia statim,
quæ ipsis non sunt audita adhuc, omnibus etiam
aliis fuisse indicta prius; tum vero nullam esse
novitatis in se spectatæ culpam: Qui enim hoc
nomine hanc expositionem respuerent, næ illi
hoc suo Judicio summos Theologos, quorum
fides orthodoxa extra omnem dubitationem ver-
satur, condemnarent: Ex multis unicum excita-
bo

bo & quidem eximium illum apud Bernates Theologum & Exegetam præclarissimum BENED. ARETIUM, qui in Commentariis ad h. l. se hujus sententiæ autorem disertis verbis profitetur: *Cum Duæ sint, inquit, animalis hominis partes Anima & Corpus: Apostolus tres hominis renati partes integrantes constituit: Spiritum ἡγεμονικὸν i. e. ductorem, qui formet in renatis novos motus & voluntatem Dei subjiciat voluntati: Λογὴν i. e. ἐπιθυμητικὸν, cui addantur τὰ πάθη in genere, item sensitiva facultas, judicium & ratio non repurgata a Spiritu Sancto, denique Corpus.* Neque vero audiendi sunt illi, qui citante ERASMO in *Annot. in N. T.* cum *Didymo* in *Opere de Spiritu S.* propterea hoc Votum in Spiritum S. nullatenus quadrare contendunt, quoniam incredibile atque blasphemum, orare Apostolum, ut Spiritus S. integer servetur, qui nec immutationem potest recipere, nec profectum. Quasi vero in hoc Pauli Voto de ipsa Spiritus S. essentia; non vero de ejus inhabitatione & operatione in renatis tantum Quæstio foret: Quanquam enim ipse Spiritus S. in se semper idem sit ac immutabilis, adeo ut nec immutationem nec profectum possit recipere; quatenus tamen in Renatorum cordibus habitat, atque præsentiam suam sanctissimis motibus ac jucundissimis effectis testatam facit, hic ipse Præsentiae sensus variis omnino mutationibus, incrementis, decrementis obnoxius est: Huc faciunt Apostolicæ illæ cohortationes: τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε I. Theff. V: 19. Μὴ λυπεῖτε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τῷ θεῷ, Eph. IV: 30. Quod si Spiritus S. hominum culpa potest *extingui*, *contristari*; si locum habet admonitio, ne id fiat; quid nō etiam locum haberet Votum, ut Spiritus ille

Sanctitatis & Lætitiæ inoffensus conservetur; quod quid aliud est, quam ne hominum culpa extinguatur aut perturbetur unquam: Neque istud a Davidis voto multum diversum est Psalm. LI: 13. 14. *Ne abjicias me a facie tua, & Spiritum S. tuum ne recipias a me: Redde mihi gaudium salutis tuæ, & Spiritu ingenuitatis sustentato me.* Nec denique modus, quo Paulus hanc regenitorum sortem integram ac illibatam conservari præoptat, quicquam habet, quod Spiritu S. indignum sit: 1.) enim illud ἀμέμπως, ex Anonymi sententia, unice refertur ad τὸ ὁλοκληρον, tanquam genus: Et quemadmodum olim, teste Polluce I: 1. θύμαλα, victimæ perfectæ, integræ, ὁλοκληρὰ dicebantur; ita hæc victimarum ὁλοκληρία circumscribitur οἷς οὐκ ἔστιν ἐν αὐτοῖς μῶμος Deut. XV: 21. ut adeo ὁλοκληρον, integrum & ἀμέμπλον, sine D nullo nævo aut vitio laborans, fere synonyma sint. 2.) Si illud ἀμέμπως τηρηθεῖν distributive ad singulas species referas, Animæ quidem & Corpori, ut quæ sua natura labem aliquam contrahere possunt, proprie convenit; Spiritui S. vero, quatenus per ipsa animæ & corporis inquinamenta turbatur, ejusdemque conservatio intervertitur: Talia enim sunt prædicata, qualia permittuntur esse a suis subjectis. 3.) Sæpe unum Verbum aut prædicatum duobus aut pluribus Nominibus adjungitur, ut ex sensu aliud deficere, aut positum alteri Nomini minus respondere videatur: de quo vide Perizonium ad Sanctii Minerv. IV: 8. & Cortium ad Sallust. passim. Sic Ovid. III. Trist. VIII: 37.

Cumque locum, moresque hominum, cultusque, sonumque Cernimus.

Musæus

Museus de Heron. & Leandr. v. 5:

Νηχόμενον τε Λέανδρον ὁμῶς καὶ λύχνον ἀκῶ.

Quaquam vero hanc Anonymi Sententiam ab omni suspitione liberam, piam etiam & a Fidei Analogia non abludentem agnosco atque pronuntio: Nihilominus tamen alia sunt, quæ me impediunt, quominus illi album calculum adjicere possim. Et 1.) quidem Anonymus illud ὁλόκληρον ὕμῶν substantive vult accipi, quasi commune genus seu totum ex partibus integrantibus constans designaret; quapropter etiam a reliquis per comma sejungit: Sed quum Adjectivum sit ὁλόκληρον, necessario si substantive accipiendum foret, Articulum ante se requireret, atque scribendum fuisset: καὶ τὸ ὁλόκληρον ὕμῶν, τὸ πνεῦμα, καὶ ἡ ψυχὴ, καὶ τὸ σῶμα, ἀμέμπλως τηρηθεῖν. Si vero ὁλόκληρον Articulo destitutum adjective accipiendum est, additum ὕμῶν diserte monet de humano, neutiquam vero de divino, Spiritu h. l. sermonem esse. 2.) Deinde quum illud ὁλόκληρον ὕμῶν reddit per *totam Sortem vestram, euer ganzes Loos*/significationem pro arbitrio determinat, usu neglecto: τὸ ὁλόκληρον enim Substantive acceptum idem esset quod ὁλοκληρία, hoc vero nusquam *totam Sortem*, seu *Totum q. ex partibus constans* denotat. Et quamvis vocatio Christianorum ad spem sempiternæ felicitatis ΚΛΗΡΟΣ ἐν τοῖς ἀγιασμένοις, Actor. XXVI. & μερὶς τῆς ΚΛΗΡΟΥ τῶν ἁγίων, Coloss. I: 12 dicitur: Anima tamen & Corpus nusquam ἐν τῷ κλήρῳ τῶν ἁγίων adnumerantur, neque etiam ad Sortem seu hæreditatem renatorum pertinent; quia has partes cum ceteris hominibus, etiam irrogenitis, communes habent:

Solus Spiritus Christi est κληρος τῶν ἀγίων, quia ὁ κόσμος αὐτὸ ἐ δύναιται λαβεῖν Joh. XIV: 17. Est quidem ὁλόκληρον vi compositionis, *tota sorte constans, quod omne id habet, quod Sorte obtigit*; adeoque involvit primitus respectum aliquem ad Sortem, sive *Hæreditatem* Sorte oblatam: Sed hic respectus in compositione ex usu penitus obsolescit, servata tantum *Integritatis & Perfectionis*, & physicæ & moralis, notione, quæ excludit cum omnem *divisionem* seu partitionem; tum vero etiam *defectum* omnem aut vitium. In N. T. extra h. l. non occurrit nisi Jac. I: 4. ἵνα ᾗτε τέλειοι καὶ ὁλόκληροι. Sic etiam ap. Platonem in Phædr. p. 346. D. ὁλόκληροι καὶ ἀπαθείς κακῶν conjunguntur de τελεταῖς: Et Substantivum ὁλοκληρία Actor. III: 16. *integritatem corporis* seu *sanitatem integram* ac penitus restauratam designat. 3.) Præterea non possum admittere, quod tamen Anonymus tanquam Principium & Fundamentum suæ Interpretationi substernit, quasi πνεῦμα & ψυχὴ, quotiescunque in aliquo loco conjuncta legantur, essentielle Discrimen inferant, eo fere modo quo ψυχὴ καὶ σῶμα: Nam quamvis concedamus, hæc duo vocabula ubicunque conjungantur, involve-
re aliquam Differentiam; eam tamen non posse non esse essentielle, nonnisi per subreptionis vitium infertur. Neque intelligo, quæ sufficiens ratio obstat, quominus utrumque vocabulum de eodem Subjecto, pro diverso statu, respectu, conditione, facultatibus accipi possit; inprimis quum certum ac extra controversiam positum sit duo isthæc vocabula passim promiscue a S. Scriptoribus usurpari. Vel ostendat nobis doctiss. Anonymus, quid illa interpretatio, quæ v. c.

πνεῦ-

πνεῦμα per Facultatem intelligendi, ψυχὴν vero per appetendi Facultatem; vel etiam πνεῦμα per Facultates Animæ superiores, ψυχὴν autem per inferiores, explicat, quid inquam illa Interpretatio habeat, quod ab usu vocabulorum sacro & profano, a mente Pauli imprecantis, ab analogia fidei, a pietate, alienum sit, ut proinde necesse fuerit de Spiritu S. hic cogitare: Neque sæcundioris pietatis sensus subministrat illa quam præfert Anonymus Interpretatio; etenim Pauli votum, quamcunque sequaris Interpretationem, respicit Confirmationem in Sanctimoniam studio, quam Spiritus sancti opus esse, in iis, qui τὸ πνεῦμα τῆς ἁγιοσύνης jam acceperunt, apud omnes in confesso & ex rei natura manifestum est, quanquam h. l. non disertis verbis expositum legatur. Atque hæ potissimæ sunt rationes, Vir Clarissime, quæ assensum quominus Anonymi sententiæ præbeam me adhuc cohibent.

Sed neque illis accedere possum interpretibus, qui per πνεῦμα intelligunt animam per Spiritum S. regeneratam, renovatam & illuminatam, quæ quum juxta hos in statu suo naturali spectata hoc tam splendido nomine indigna prorsus sit, nunc post & propter Spiritus S. in Conversione operationem demum πνεῦμα appellari mereatur: Ut enim taceam, hanc dictionis τὸ πνεύματος emphasin h. l. commentitiam & ex ingenio theologico (*)

X §

con-

(*) Ejusdem generis est etiam JO. PAUL. STOLBERGII Opinio in der Hamburgischen vermischten Bibliothek IIIten Bandes Vtes Stück §. IV. pag. 668. qui per πνεῦμα intelligit *Vitam hominis in Christo viventis*: atque h. l. ita reddit: „Et ut tota ex hæreditate per Christum acquisita vita vestra inculpate conservetur.“

confictam esse, quid iidem hi per ψυχὴν intelligent, nisi Animam, non regeneratam, sed adhuc in statu naturæ existentem? alias jam sub voce πνεύματος ipsa quoque esset inclusa. Itaque juxta hos Paulus optaverit, ut *tota anima regenita & non regenita, & corpus inculpata conserventur*: Quis autem dixerit Paulum contradictoria a Deo precatum esse, aut in votis habuisse, ut Animæ eorum, quatenus in statu naturæ erant, ἀμέμπτως conservarentur?

Planissimum nobis & usu dictionum convenientissimum esse videtur, ut πνεῦμα explicemus per Intellectum, Conscientiam, superiorem Animæ partem, qua sapimus & intelligimus, & quæ *Mens* vocari solet: ψυχὴν autem per inferiores facultates, quas cum brutis animantibus habemus communes. Convenit hoc cum usu loquendi: *Plaut. Cist. II: 1: 5. Ita nubilam mentem animi habeo. Id. Epid. IV: 1. 4. Pavor territat mentem animi. Lucret IV. Mens animi vigilat. Mens animi h. e. Mens & Animus. Huc facit etiam Locus Eph. IV: 23. Ἀναθεοῦσθαι τῷ πνεύματι τῷ νοῶς ὑμῶν. Ad eundem fere modum Aristot. Ὡς ἐν σώματι ὁψις, ἔτω νῆς ἐν ψυχῇ. Et Metaph. L. II. c. i. Ὡς περ γὰρ καὶ τὰ τῶν νυκτερίδων ὀμματα πρὸς τὸ φέγγος ἔχει τὸ μεθ' ἡμέραν, ἔτω καὶ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ὁ Νῆς πρὸς τὰ τῇ φύσει φανερώτατα πάντων. Phædr. IV: 19. 3.*

Abiturus illuc, quo priores abierunt,

Quid mente cæca miserum torques spiritum?

Et Virgil. Aen. VI: 12.

- - - *Magnam cui mentem animumque
Delius inspirat vates.*

Ad

Ad quem locum Servius: *Perissologia est: nam secundum Lucretium, unum est mens & animus: quamvis tamen pro Sapientia Mens accipiat & Intellectus: Animus vero pro Voluntate. Ut Terentius: Mala mens, malus animus.*

Habes hic, Vir Clarissime, quid mihi de propositis quæstionibus videatur, quantum quidem iniquiora Epistolæ spatia capiunt; Neque vereor, ut qui æqui sunt, & aliis perinde quantum sibi ignoscere didicerunt, in hoc meo Judicio æquitatem desiderare possint. Si quis vero me in hoc Judicio falli ostenderit, aut rectiora etiam docuerit, huic ego, quisquis etiam fuerit, facile assurgam, meque ab eo maximo affectum esse beneficio publice profiteri non erubescam. Vale, Vir Amicissime, meque quod egregie facis ama.

NOVA LITERARIA.

TIGURUM.

Gesnerorum Fr. Officina nobis exhibet egregium ac splendidum opus Scheuchzerianum a Doctiss. Sulzero recognitum, sub istiusmodi Epigraphæ: **Johann Jacob Scheuchzers**, weyländ Profess. der Natur-Lehre und Mathematick, Canonici in Zürich, wie auch Mitglieds der Kays. Königl. Englischen und Preussischen Gesellschaften der Gelehrten, 2c. **Natur-Geschichte des Schweizerlandes**, samt seinen Reisen über die schweizerischen Gebirge. Auf's neue herausgegeben, und mit einigen Anmerkungen versehen von **Joh. Georg Sulzern**, II. Theile, 4. 1746.
cum